LVCAE FVRNARII IVRECONSVLTI PATRICII

& Oratoris Reipublicæ Genuensis

ORATIO

Ad Gregorium. XIII. Pont. Max.



ROMÆ,
Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales.
Anno. M. D. LXXII.



VM mecum ipſe reputo, Beatiſſime Pater, plurima grauiſſimaq; vulnera, quibus mirum, & miſerandum in modum complures iam annos conſauciata languet Reſpublica Chriſtiana: quorum partem magnam tam variæ tamque multiplices hæreſes impoſuere, morſibus ac venenis ſuis dilaniato & infecto, necnon à ſuauibus Eccleſiæ ſanctæ paſcuis abducto Domini grege: non minimam verò partē Turcarum tyranni formidabiles opes, feritas, & plusquàm barbara inflixit immanitas: hæc cū ego cogitatione complector, facere non poſſum, quin maxima commouear animi perturbatione. Cum rurſus mihi in mentem veniunt certiſſimæ conſtantiſſimæque Saluatoris noſtri promiſſiones, qui cum ſatis non haberet pro miſeris mortalibus vniuerſis ſanguinē ſuum profudiſſe, tàm prolixè pollicitus eſt ſæculis ſe cunctis nobiſcum perpetuò futurum, ex quo fieret, vt licet Petri nauicula vaſtis inſurgentibus vndique fluctibus ac procellis, diu multumq; tempeſtate iactaretur, ipſe tamen illam ab omni naufragij periculo integram ſemper inuiolatamq; eſſet ſeruaturus: totus recreor, meque ipſe colligo, atque in Domino conſolor. neq; enim mihi eſt obſcurum diuinam maieſtatem miris quibusdam rationibus, quæ in hominum intelligentiam cadere non poſſunt, vi quadam prouidentiæ incomprehenſa, ad bonos & ſalutares exitus omnia maturè ſuoque tempore perducere conſueuiſſe. Quippe que nouit ex maximis malis maxima excerpere bona, quemadmodum vel magi

ſtrà

ſtra complurium annorum experientia nobis contigit edoceri. Nam cui iam, obſecro dubium eſſe queat, nihil eſſe tam deteſtandum, quàm tam multas hæreſes, quæ per tot annos teterrima ac peſtilẽtiſſima in Domini gre gem venena ſpargere paſſim non deſtiterunt? & tamen Dei noſtri prouidentia & conſilio quis non videt eſſe fa ctum, vt innumerabilia inde bona ad nos redirent? Quorum non poſtremum illud eſſe mihi videtur, quòd reiectis iamque obſoletis inutilibus illis rerum perplexa rum quęſtionibus, quæ magis erant ad oſtentationem doctrinæ, atq; ingenii, quàm ad diuinum cultum, veráq; pietatem excogitatæ; Chriſtianis hominibus occa- ſio ſit data in lectionis ac prædicationis euangelicæ ſtu- dia toto pectore incumbendi. Hanc etiam videre licet extitiſſe cauſam, cur multi ſanctiſſimè inſtituti cœtus ad veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ conſuetudinẽ corruptos iam vbique, ac deprauatos hominum mores, vitamque ſtudiosè reuocantes congregarentur, qui mundum in numeris expurgarunt erroribus: eorumque loco bono rum genus omne inuexerunt, in conſuetudinem reuo- cata tam ſalutari ſanctiſſimorum ſacramẽtorum frequẽ- tatione: Chriſtianęque fidei ac religionis fines in barba ras nationes longè latequè protulerunt. At verò quis adeo eſt immanis, qui mala tot ac tanta, tamque ingen- tes calamitates, quibus acceptis Italiæ decus & ornamẽ tum Venetorũ reſpublica proximè eſt afflicta, nobiliſſi- mo ampliſſimoque Regno amiſſo, tot ciuibus & ſocijs tam miſerè tamque crudeliter partim trucidatis, partim

in ſeruitutem quauis morte dur iorem abreptis atq; abſtractis, non miſericordia ſolum, & lacrymis, verum etiā acerbiſſimo luctu non cenſeat eſſe proſequendas? Et tamen eidem diuinæ prouidentiæ placuit ſanctiſſimi Vicarij ſui non re minus ipſa, quàm nomine Pij Quinti opera, ſtudio, ac labore, ex tam immenſa malorum mole, tam præclaram eruere occaſionem, ſanctum ac ſalutare fœdus inter Chriſtianos Principes ſanciendi: quod pręter omnium mortalium ſpem & expectationem, feliciſſima ſtatim ſumeret auſpicia ab omnium longè maxima clariſſimaque victoria, quotquot omnibus ad hanc vſque diem ſæculis aduerſum Chriſtiani nominis hoſtes potiri nobis contigerit. Idq; virtute in primis ductuque non minus ſtrenui fortiſque Ducis, quàm catholici ac prudentis viri sereniſſimi Ioannis Auſtrij, planè digni tali patre filij, id eſt ſummi ac clariſſimi omnium Imperatoris. Atqui in medio rerum tam bene, tamque feliciter geſtarum curſu, cum ad eum exitum quem tam lęta pollicebantur auſpicia non cunctanter contenderetur; ecce tibi Pium Quintum Pontificem Maximum ad veram vitam Deo vocare eſt viſum: cuius tam alieno tempore nobis erepti mors, ſenio licet ac languore confecti, immatura tamen, ac luctuoſa accidit vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ. Neque id ſanè iniuria, erat enim ſummus optimo cuique metus iniectus, ne huic ipſi inito fœderi impedimēti forte aliquid opponeret, quod certa omnium ſpe, præceptos iam ex tanta victoria fructus vberrimos ad maturitatem peruenire nō pateretur. Sed

prouiden-

prouidentia bonitasque diuina quo & mature tãtis malis, & rerum in primis ipsarum summæ consuli posset; huic nũquàm satis pro dignitate laudato augustissimo amplissimorum Cardinalium Collegio eam mentem iniecit, vt tanta animorum conspiratione, atque consensu omni abiecta cunctatione Sanctitatem tuam summũ Ecclesiæ Sanctæ Dei pastorem, verumquè in terris Christi vicarium deligerent. Quippe cuius propensissimam esse voluntatem perspicerent, non ad susceptam modo aduersus Christiani nominis hostes expeditionem promouendam; verum etiam ad hæreses extirpandas, funditusque tollendas, adque heroicas virtutes omnes absolute præstandas; tantique Pontificis persona dignas actiones magno animo suscipiẽdas, ac sustinẽdas. Itaq; satis celeriter ipsa res docuit, quantum Christiana Respublica sit boni consequuta tantoque illi clariores illuxisse diuinæ prouidentiæ radios, ex hoc ipso apparuit, quanto in grauius & propinquius iam conspiciebatur res adducta discrimen. Quamobrẽ optatissimus hic ipse de te creato Pontifice Maximo nuncius simul atque est allatus, tanta Ciuitatem nostram hilaritate, lętitiaq; compleuit, (quemadmodum actis primum immortalibus immortali Deo gratiis, deinde omni gratulationis genere, publice priuatimque non obscurè datis, exultantium per totam vrbem animorum significationibus ostẽdit) qua nulla maior nec verbis explicari, nec cogitatione quidem queat comprehẽdi. Siquidem intelligunt ciues nostri verum se, & indulgentissimum

Patrem,

Patrem, vigilantissimumque Pastorem consequutos, nō probitate modo, summa & integritate prędıtum, verū etiam prudentia, iustitia, mansuetudine, plurimoq; rerum vsu vsque adeo præstantem, vt alterum Gregoriū Sanctum Ecclesiæ & pastorem, & doctorem cælitus in terris demissum, cui parem nullum ne sperare quidē liceat, aut etiam optare: quemadmodum nos nunc ipsi iucundissimè cernimus, sic etiam absentes illi suis oculis intueri videantur. Cuius ego admirabiles & heroicas laudes æterno præconio dignas vt silentiò præterirem, idcirco faciendum consultò putaui, quòd ad eas vix leuissime attingendas, nedum celebrandas, & illustrandas longe imparem me esse facile intelligebam. Neque tamen si id præstare potuissem, per modestiam istam, quę innumerabilium virtutum tuarum nulli est inferior, Sanctissime Pater, id mihi licere nunc arbitrabar. Quare in tanta omnium lætitia Ciuitas nostra libentissime tota ad sanctissimorum pedum tuorū oscula pro affectu confluxisset, sed cum id fieri non posset, nobis hæ partes à Senatu nostro sunt impositæ, vt suo Reiquè ipsius publicæ nomine, tam optabili munere fungeremur; verè & ex animo gratulantes, primum scilicet Sanctitati tuæ, ꝙ in augusto hoc Sedis Apostolicæ solio diuinitus, Sāctiq; Spiritus instinctu, & afflatu sit collocata: tum huic amplissimo venerandoque Collegio, cuius id ipsum sapientissimo consilio, tanta celeritate, tantoque consensu est effectum: (vniuersę deniq; Reipublicę Christianæ, que tantum boni, tamque pręsens ad omnia sanāda ma

la

la remedium ſit adepta. Illud prætērea nobis mādauit) vt in verum ac certum inuiolatę, conſtantisq; fidei ſuæ, perpetuęque aduerſus Apoſtolicam Sedem obſeruantię teſtimonium, Sanctitati tuę tanquàm legitimo Sanctæ Eccleſię Paſtori, Chriſtiq, Vicario, perpetuā debitamq; obedientiam, tum officia ſtudiaque omnia, (quemadmodū facimus) vltrò deferamusac ſpondeamus: haud ſanè dubia ſpe futurum, vt Sanctitas viciſſim tua (quod vt facere dignetur ſuppliciterac demiſsè flagitamus) Remp. noſtram verè Chriſtianam paterna caritate complectendo, patrocinio ſuo præſidioquè tueatur, & beneficiorum gratiarumq; conceſſione cohoneſtet. Que, vt non opes modo copiasque ſuas, verum etiam ſanguinem ipſum quotieſcunque res popoſcit, profundere nō eſt verita pro ſacroſanctæ huius ſedis amplitudine, ac maieſtate, ſic nihil vnquam habuit antiquius, quàm vt ſinceram & incorruptāChriſtianam religionem in ſua tū ciuitate, tum ditione perpetuo conſeruaret. Quod reliquum eſt votis precibusque omnibus Deū Opt. Max. rogamus & obſecramus, vt quam erga nos benignitatē oſtendit, cum te Chriſtianæ Reip. donauit, eadem illa munus hoc proprium ac perpetuum eſſe velit, teque nobis diutiſſime ſoſpitem incolumemque conſeruet, & tibi omnia læta concedat & tranquilla. Dixi.

Reſponſum

Responsum Pontificis.



Agnifici Oratores, Perpetua Reipublicæ vestræ pietas, probitas, fides, atque erga hanc sanctam sedem, & Romanum Pontificem obedientia, iucunda Sanctiss. D. N. semper in animo recordatione versata est. Eadem nunc omnia in hac vestra legatione, & oratione Sanctitas sua vnà cũ venerabilibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus agnoscit, atque accipit libentissime. Laudationem vero interpetratur proficisci ab optima maximèque laudabili voluntate ea cernendi, quę vestra Respublica sua opinione tribuit Sanctitati suæ. In quo eius voluntas cum ipsius Reipublicæ voluntate mirifice congruit, sua ipsius de se opinio discrepat, conatus certe Dei benignitate numquàm deficit, neque deerit. Ipsam vero Rempublicam Sanctitas sua semper cõmendatissimam habebit, quæq; ad eius voluntatem, ac dignitatem pertinere intelliget, etiam non rogata libentissime faciet: si qua effugerint monita non deerit.